



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 98. Responsum Pontificis ad tria hæc media.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI
A.C. 1562.

auctoritate non modicum ipsis robur addituri forent.

Alterum, quod prius proponebant Legati, consilium eo collimabat, ut residendi necessitas in Synodo proponeretur, ac illis, qui ejusmodi legem essent transgressuri, poenæ constituerentur, & contra illis, qui sese submitterent, privilegia concederentur, hocque pacto hujus decreti observatio metu, ac spe urgeretur: porro inter poenas nonnulli optabant, ut interdiceretur absolutio non residentibus concedenda. Tertium denique medium eo vergebat, ut plures Episcopos Legatos efflagitarent, quatenus ipsorum nomine rogarent Synodum, ne hæc gravaretur, ad amovendam perturbationem, discordiam, & moras, totum negotium Pontifici remittere: porro hæc forma decentior apparebat, quam si legati propositionis auctores secundum primum consilium viderentur.

§. XCVIII.

Responsum Pontificis ad tria hæc media.

Pall. l. 18.
c. 13. n. 1.
litt. Borr.
ad Legat.
12. Octobr.

Accepto hoc Legatorum consilio Pontifex mox ad Legatos suos hæc rescribi iussit: „hoc negotium jam antea vestræ commisi prudentiæ, quoniam vero meam rogatis sententiam, consultiſſimum cenſeo, si ſanciatur conſtitutio.

Sæcul. XVI.
A.C 1562.

"tutio, quæ pœnas contra non residen-
 "tes, & præmia pro residentibus decer-
 "nat: mihi autem non probatur senten-
 "tia de absolute transgressoribus de-
 "neganda; fatius enim foret, si iisdem
 "anathema solum a me solvendum in-
 "digeretur: itaque præplacet mihi, ut
 "omni studio curetis rem propositam a
 "majori Patrum parte ratam haberi, id
 "ubi successerit, tametsi complures re-
 "luctarentur, de iis minime anxii sitis:
 "cum certum constet, majorem, acer-
 "bioremque repugnantiam fore, ubi post
 "tam fervidam, jamque evulgatam
 "correctionem dogma pro alterutra parte
 "definiretur: si vero vos de hujusmodi
 "Decreti successu dubitaretis, atque im-
 "pensa vestra diligentia id obtinere de-
 "speraretis, tunc navetis operam, ut
 "Præsules illi, quos vos commemora-
 "tis, sint æque parati aut ad hoc
 "ipsum perficiendum, aut ad rem Papæ
 "committendam: sin autem, ne id qui-
 "dem pariter hac ratione haberi posset,
 "non recuso, hujus negotii discussionem
 "accipere, dummodo plena, ac integra
 "alterutram sententiam decidendi liber-
 "tas relinquatur: fatius enim existi-
 "mabo ea omnia ita peragi, quam de-
 "cerni in Concilio tanquam Fidei dogma
 "ejusmodi articulum, qui a tot Patri-
 "bus, tantaque æmulatione oppugna-

E e 4

„tu

Sæc. XVI.
A.C. 1562

"tus fuit. Nulli pariter vobis curæ sit
"id, quod five oratores, five alii oblo-
"cuturi essent; cum unicuique prudenti,
"sinceroque animo liceret aperte intel-
"ligere, quod ego ejusmodi rei, & Ca-
"lisis decisionem in me suscipiens, non
"aliud emolumentum quæram, nisi ut
"Concilio pacem procurem, in quo e-
"tiam casu firmas Sanctiones edere sta-
"tui, quibus omnes beneficiis provisi re-
"ipsa ad residendum cogentur. Tan-
"dem ex iis omnibus, quæ dixi infera-
"tis, me nolle, ut vos ex aliorum con-
"silio, sed vestro arbitratu rem geratis.

§. XCIX.

*Varii rumores circa Gallorum adven-
tum in Synodo sparsi.*

*Pallav. c. 13.
num. 2. lit.
Amulii
10. Octobr.
inter comm.
Mucotti
Sarp. p. 565.* Eo magis tum ab ipsis, tum a Pon-
tifice optabatur festina & quieta il-
lius litis concordia, quo vicinior, ac
turbulentior significabatur adventus
Gallorum, qui, si divisam Synodum re-
perissent, ad alterutram partium acce-
dentes omnium rerum arbitri omnino
evasisent, prout haud temere suspi-
cabantur quamplurimi. Insuper exiit
quædam epistola ad Seripandum, in
qua Amulius Cardinalis eidem nuntia-
bat, quod Lotharingius Cardinalis ha-
beret in animo, sibi famam comparare
potissimum ex eo, quod ipse nationes
Trans-